



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Damna quae sequuntur ex ira.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

non vult ut alter alterum condemnet aut occidat: nō omnes vitam ab ipso habemus atque salutem, ipse solus diues est in omnes, Romanorum 10. Vnde Iacobus & Ioannes Luc 9. commoti, quod Samaritæ non recipiebant Christum, dixerunt: Domine, vis ut ignis descendat de cælo, &cæt? & increpauit eos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Hunc magistrum debemus sequi, & non affectus nostros. Ephes. 5, Sol non occidat super iram vestram, &c.

§. Tertiò, grauissima damna sequunturiram: pri-  
mùm, quia Deus de corde nostro expellitur, & dia-  
bolo locum damus per iram, id quod periculosest,  
secum deferre in corde Sathanam, cum eo die no-  
struque comedere & bibere: ubi enim est charitas, ibi  
Deus habitat, vt 1. Ioan quarto. Deus charitas est, &  
qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in il-  
lo. Si igitur diabolus cor nostrum per iram possidet,  
quomodo Deus in nobis manet? vnde aperte iube-  
mur Ephes. quinto de vitanda ira, vt non locum de-  
mus diabolo. Nemo igitur ad dormiendum se com-  
ponat, quin prius iram abijciat, & Ephes. 4. Nolite  
spiritum Domini contristare, sed tunc contristatur  
spiritus sanctus, quandò per iram & peccatum expel-  
latur. Ob id Apostolus flectit genua ad Deum patrem  
Domini nostri Iesu Christi, quatenus Christus habi-  
tet in cordibus nostris per fidem, & propheta David  
Psalm. 50. petiit, Spiritum sanctum tuum nè auferas  
à me. Ideo dicitur, Nolite contristare spiritum Dei,  
in quo consignati estis in die redemptionis. Ideo o-  
mnis amaritudo, ira & blasphemia tollatur à vobis,  
& estote inuicem benigni, mites & misericordes, do-  
nantes inuicem, sicut Deus donauit nobis in Chri-  
sto, id est, propter Christum. Secundum damnum est,  
quod ira non solum priuat Deo, sed etiam vitam no-  
stram.

stram minuit. Eccle. 10. Zelus & iracundia minuantur  
dies, impediunt & tollunt rationem. vnde Cato:

*Impedit ira animum, ne possit cernere verum.*

Vnde iracundi assimilatur lapidi, qui percussus, scintillam emittit. Sic iracundus tactus verbo, prorum-  
pit in blasphemias, conuicia & rixas. Job. 18. lapis ca-  
lore solutus, in æs conuertitur, id est, sonum reddit  
&cæt. Porro iracundia est sicut æs aut cymbalum.  
Gregorius: Qualis unusquisque apud se latet, illata  
contumelia probat. Tertium damnum est, quod ira  
non solum nobis ipsis nocet, sed etiam omnibus alijs  
hominibus & cœtaris. Occidit enim homines, & in  
mille & irreparabilia damna inducit. Vnde enim in-  
cendia urbium, & villarum depopulationes, ac deua-  
stationes agrorum, vinearum, &cæt. nisi ex ira? Sic  
Absolon incendit messem Ioab, 2. Reg. 14. qui postea  
fuit suspensus & transfixus. Sic Samson incendit mes-  
sem Philistinorum, Iudic. 16. Sed postea ipse captus  
& oculis priuatus fuit. & Matth. 25. Si Deus est puni-  
turus eos, qui peregrinos & pauperes non vel colli-  
gunt vel recipiunt hospitio, quanto magis illos, qui  
alios ex furore suo priuant & domibus, & agris, &  
bonis suis?

## CAPUT XIII.

### ARGUMENTA.

1. *Quid sit maledictio & conuicium, siue  
oder iherren.*
2. *Quas personas singulariter exprimit scriptu-  
ra, ne eis maledicamus.*
3. *De poena maledicentium.*

Primo